



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput XVIII. De Collectionibus Canonum, iis maxime, quas adornarunt
Isidorus, & Gratianus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

CAPUT XVIII.

De Collectionibus Canonum, iis maxime, quas adornarunt
Isidorus, & Gratianus.

SUMMARIUM.

1. De variis Juris Canonici collectoribus.
2. 3. 4. 5. & 6. Propositio 1ma probatur.
7. Propositio 2da probatur.
8. Notanda de auctoritate & valore variorum canonum, & legum.
9. Corpus Universi Juris Canonici quibus, & quot libris constet.
10. Divisio Decreti Gratiani.
11. Divisio libri 6. Decretalium in alios quinque.
12. Divisio Clementinarum in quinque libros.
13. Divisio Extravagantium.
14. Citatio practica Canonum pro Tyronibus.

De variis Ju-
ris Canonici
collectoribus.

FUERUNT Canonum, quorum complexio corpus Juris Canonici appellatur, Collectores plurimi, Dionysius cognomento Exiguus Monachus Scyta, Fulgentius Ferrandus Carthaginensis Ecclesiae Diaconus, Cresconius de quo ad an. 527. Baronius, Anselmus Lucensis Episcopus, Burchardus Monachus, Ivo Carnotensis, Deusdedit Cardinalis, alique, in Praef. Decretalium, in Apparatu Emmanuelis Gonzalez, & in VII. Annalium Ecclesiasticorum Tomo p. 137. Digni sunt, qui speciatim commemorentur, Isidorus, & Gratianus. Isidori nomen praefert perantiqua Collectio, quae protenditur à Canonibus Apostolicis ad secundam Synodum Hispalensem, & complectitur etiam veterum ante Siricium Pontificum Decretales. Gravis de harum authenticitate viguit post Joannem Wiclefsum controversia; ac permulti suppositas habent, non solum haeretici, verum etiam eruditi Catholici, discreti tamen, & meliori judicio. Cum autem vindicandas susceperit Franciscus Turrianus, hunc acerrime confutavit Blondellus; atque sententia Eruditorum hic meliorem causam hac in parte defendit, quamquam in Ecclesiae doctrinam Decretalibus illis contentam nimis injuriosus. Aliud est inquirere, an Decretales antiquorum illorum Pontificum ab Isidoro collectae genuinae sint, aliud, an erroneis dogmatibus scateant. Et spurias & heterodoxas autumat cum Blondello Novatores alii; autographas, catholicasque cum Turriano nonnulli Nostrates. Viri docti mediam tenent viam: & interpolatas esse concedunt, & sanæ doctrinae: Ita Petrus de Marca lib. 3. Concord. cap. 6. Ant. Augustinus in Notis ad Capitula Adriani, Antonius Pagius ad an. 100. num. 4. & seqq. Franciscus Pagius in Analecto, Joannes Bortoni V. S. Ref. in Dissert. Isagogica praemissa Decreto Gratiani pag. ex. alique communiter.

An hujus Collectionis Auctor fuerit Isidorus Hispalensis, an Isidorus Mercator, incertum plures existimant. Hispalensi tribuunt Hincmarus in libro de Synodis, Trithemius, alii: Mercatori autem, vel alteri, qui sub Mercatoris nomine Collectionem illam fabricaverit, Schelestratius Tom. 2. Antiq. Eccles. dissert. 3. cap. 5. art. 5. num. 3. Franciscus Pagius ib. n. 3. & alii recentiores. His absque fluctuatione subscribimus: nam in vetusto Codice S. Mariae supra Minervam legitur Praefationis initio: *Isidorus Mercator servus Christi lectori conservo suo*; nec aliter in Vaticanis: quo loco in impressis est, *Isidorus peccator, &c.* In hac praeterea Collectione fit mentio Concilii Generalis sexti, aliarumque Synodorum, ac Pontificum Isidoro Hispalensi, demortuo anno 636. posteriorum. Sexta enim Synodus, sive Constantinopolitana III. celebrata est anno salutis DCLXXXI.

Collector alter Canonum, de quo pertractandum est, fuit Gratianus Monachus Cluniacensis. Is Clusis in Etruria natus S. Benedicti Institutum amplexus est Bononiae in Monasterio S. Proculi; sed inde transiit ad alterum SS. Felicis & Naboris, ibique collectionem Canonum adornasse constat ex lapide Sacrae inscriptio his versibus.

Hanc habe partem Lector, reverenter adito;

Namque loci Monachus Decretum hic condidit hujus

Divinum Gratianus Opus, &c.

Desiderant quidem omnes in Gratiano methodum; habet enim pleraque involuta, nonnulla praepostere, & multa alieno loco digesta. Quamobrem (inquit Ivo Carnotensis in Praefat.) qui in Gratiani volumine methodum, sine qua *didantur* nos esse nemo potest, vestigant, videntur non absmiles iis, qui delphini in sylvis, aut in fluctibus apri vena-

venationem inſtituunt. Sed barbara, quibus floruit, tempora nævum iſtum excuſant, ſtudioſumque ac laborem extollunt. Methodum itaque prætereuntes, exquiremus de huius collectionis auctoritate, quam aliqui nimis deprimunt, aliqui vero nimis efferunt, cum medium hic quoque teneant viri docti, & ingenui. At à decretalibus Iſidorianis initium ducendum eſt.

1. PROPOSITIO I. Decretales veterum ante Siricium Epistolæ ab Iſidoro collectæ, ſunt interpolatæ, & magna ex parte ſuppoſitæ, non tamen reſciendæ tanquam Apoſtolica doctrinæ, fideique adverſantes.

2. Prima pars probatur 1. ex Epistol. Leonis IV. quæ extat Tom. 8. Conc. Labb. p. 32. ubi n. 6. ait Pontifex regulas Decretalium & Canonum tunc temporis apud Sedem Apoſtolicam extantium, & quibus in omnibus Eccleſiaſticis utebatur judiciis, eſſe, *Apoſtolorum, Nicæanorum, Ancyranorum, Neocaſarienſium, Gangrenſium, Antiochenſium, Laodiceuſium, Chalcedonenſium, Sardicenuſium, Carthaginenſium, Africanenſium, & cum illis regulas Præſulum Romanorum, Sylveſtri, Siricii, Innocentii, Zoſimi, Celeftini, Leonis, Gelafii, Hilarii, Symmachi, Simplicii, & Gregorii Junioris. Iſti omnes ſunt, per quos judicant Episcopos, & per quos Episcopos ſimul, & Clerici judicantur.* Habetur & in cap. *De libellis*, diſt. xx. Tempore itaque Leonis IV. an. 847. non extabant in Collectione Canonum Iſidorianæ Decretales Anacleſi, Evariſti, aliorumque veterum Pontificum ante Siricium. Additionem hic factam non in Epistola Leonis, ſed in Codice, qui Romæ ſervabatur, ante dimidium octavi ſæculi opinatur doctiſſimus P. Couſtant. At Baronius hanc ſuſpicionem dirimit; nam Codicis, quo ſub Leone IV. Romana Eccleſia utebatur, extant in Vaticana tria antiqua Exemplaria Mſs. in quibus omnibus eodem ordine Canones ſunt diſpoſiti, deinde decreta Pontificum, quorum ſeriem inchoat Siricius. Tria alia Mſs. his concordantia extare in Monasterio Erbachenſi, *ſuſcipienda propter admirandam antiquitatem*, teſtatur in Præf. Joan. Wendelſtinius. Ex his expreſſa eſt anno 1525. editio Moguntina, in eadem Bibliotheca Vaticana n. 2338. Addit Pagius Codicem Vigilantium compilatum anno 876. Atque hi omnes Codices ſunt ad confirmandam theſin capita argumentorum. Videtur tantum, ut ex Marca adnotavit laudatus Bortoniſ, ſuperin-

ductum nomen Sylveſtri, quod in Codice Canonum minime extat.

Suppoſitas Decretales illas alia plura momenta commonſtrant. Obſervavit Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus Tarraconenſis in Notis ad Capitula Adriani in Iſidoriana Collectione uſurpari eadem verba legum Imperialium, & Scholion appoſitorum ſub Aniani nomine ad Codicem Theodoſianum, & Blondellus improbo labore ſcrutatus eſt, unde ſententias, verbaque ipſa Conſarinator expilaverit. Verum argumentatio iſta, quam pluris faciunt, vix à me extorquet aſſenſum; nam ſi Pſeudo-Iſidorus compilavit Scholia Aniani, poſtuit & Auctor τῶν σχολίων ē monimentis veteribus plura exteribere. Apocryphæ ſunt tamen Epistolæ Iſidorianæ: quod præter dicta comprobatur ſtylus, & ſparſa per omnes ſimilitudo jejunæ & diſſipatæ orationis, quæ nec diverſis Auctoribus poteſt adjudicari, nec oſtendat ſecundi ſæculi comptam & elaboratam idoneorum verborum circuitiorem. Accedit ſilentium veterum, quibus fuerunt ignotæ; & frequens citatio textuum juxta Vulgatam, quæ obtinuit poſt Hieronymi ætatem. Sed de his uterque Pagius.

Alteram propoſitionis partem demonſtro 1. ex Epistola 42. Nicolai I. citata Tom. VIII Conciliorum p. 799. & cap. Si Romanorum Pontificum, diſt. 19. In qua ſummus Pontifex ſcribit ad Episcopos per Gallias conſtitutos: *Si idē non eſſe decretales epistolæ priſcorum Pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in Codice Canonum non habentur adſcriptæ: ergo nec ſancti Gregorii, nec ullius alterius, qui ante vel poſt ipſum fuit, eſt aliquod inſtitutum, vel ſcriptum recipiendum, eoquod in Codice Canonum non habeatur adſcriptum. Ergo doctrinam eorum, & ſanctiones, quæ ab omni lingua venerantur, quia in Codice Canonum non habentur adſcriptæ, de codicibus ſuis eradant.* Quod cum fieri nequeat, jure optimo inferit Nicolaus Collectionem Canonum non confirmare, nec imminuere decretalium Pontificum auctoritatem. Cuius rei ſubinde cauſam ſatis congruam producit, quod omnia in uno corpore compaginari non poſſint. Addo, quod Collectores nequeunt decretis Pontificum aliquam firmitatem tribuere. Reſicere itaque Collectionem Iſidorianam, eoquod Decretales plures in vetuſto Codice non habeantur, temerarium eſt & iniquum.

II.

5.
Probatur 2.

II. Quamquam non sunt Decretales omnes Isidorianæ genuinæ, nec Collectio ipsa autographa; omnes tamen tanquam spurias expungere imperitorium est, atque impudentium. Suppositæ enim sunt tres Decretales Anacleti, duæ Evaristi, tres aliæ Alexandri, quam dist. 1. cap. *Nocte sancta*, 48. de Consecrat. affert Gratianus, Telesphori, duæ Pii successoris Aniceti juxta Optatum & Augustinum, Præcessoris autem juxta Irenæum & Eusebium, aliæ duæ Soteris, suspectæ fidei quatuor Victoris, duæ item affectæ Zephyrino, spuria unica sancti Urbani, suspecta decretalis Anteri, explosæ pariter tres Fabiani, pseudigrapha quæ tribuitur Lucio, item duæ ex adscriptis Stephano, Sixti II. aliæ duæ, altera saltem Dionysii, tres sub nomine S. Felicis, duæ item Marcellini, duæ aliæ Marcelli, tres S. Eusebii, una Melchiadis, Epistola S. Marci, suppositum denique Damaso Decretum de Libris recipiendis. Hi ante Siricium federunt. De quorum Epistolis legendi eximii viri Lupus, Pagius, Labbeus, Coustant. De Epistolis S. Stephani ad Cyprianum erudite pertractat. P. Missorius, qui edendis FF. Minorum Conventualium Annalibus Operam dat egregiam. De ipsius perpolitâ Dissertatione ambiguum est virorum Doctorum iudicium. At plurimas veterum Pontificum Epistolas ab antiquis PP. & Historicis laudatas, uti Julii I. citatam in 2. Apologia S. Athanasii, Liberii commemoratas ab Hilario in fragmentis, Damasi ad Episcopos Illyrici, de qua Theodoretus lib. 2. H. E. cap. 22. aliasque complures in dubium revocare non possumus. Oportet ergo, ut recto criterio genuinæ distinguantur à spuris, non autem cæco ac præcipiti iudicio singulæ repudiantur.

6.
Probatur 3.

III. Illæ etiam Isidorianæ Epistolæ, quæ ad adulterinas amandantur, non sunt temere respuendæ, primo quoniam statim ac prodire, illas receperunt, probaruntque Ecclesiæ Gallicanæ Præsules, auctore Marca lib. 3. Conc. cap. 6. Deinde illis tanquam consentientibus Patrum traditioni, & Ecclesiasticæ disciplinæ usi sunt Fideles communiter usque ad tempora Concilii Constantiensis, annum scilicet 1414. Consecratæ etiam fuerunt Scholarum usu, Commentariis interpretum, aliorumque Collectorum usurpatione. Præterea in iis contineri dogmata cum recta fide pugnantia, prætextum hæreticorum mendacium est. Insuper Catholicorum consensio, & usus universalis, sententiarum condecencia,

& cum Scripturis, ac Patribus harmonia, illarum orthodoxiam aperte demonstrant. In laudata demum Synodo Sess. VIII. damnata est 38. propositio Witclefi, *Decretales Epistolæ sunt Apocryphæ: seducunt à Christi fide: & Clerici sunt stulti, qui student eis.* Cujus propositionis priorem partem esse universaliter falsam, alteram hæreticam, tertiam scandalosam potest quisque deducere ex hæcenus disputatis.

PROPOSITIO II. Canones collecti à Gratiano non aliam habent auctoritatem, quam fontium, locorumque, unde sunt derivati.

Ita Auditores Sacræ Rotæ Decis. apud Pen. 480. n. 18. *Nec refert illos Canones recenseri in Decreto à Gratiano compilato, quia cum Gratianus non publica auctoritate infinita quæque illa Canonum Ecclesiasticorum, & legum etiam secularium Capitula in suum librum contulerit, nec legis condendæ auctoritatem habuerit, nec ab aliquo Romano Pontifice liber ille tanquam authenticus & legalis approbatus fuerit, inde fit, ut quilibet canon inde relatus ex eo tantum quod ibi referatur non habeat majorem auctoritatem, quam in proprio loco consistens de sui natura esset habiturus: nec Gregorius Decimustertius Gratiani librum tanquam legalem authenticavit, cum solum emendari jussisset, & emendationes sine additionibus, aut de tractionibus mandaverit observari.* Videatur Bulla Gregorii, *Cum pro munere.* Accedit quod adhuc post limam Gregorii extant in Decreto Gratiani errores aliqui, de quibus legendus P. Placidus Bökn ejusdem Benedictini Instituti in Controv. Jurisprud. lib. 1. Tit. 2. p. 1. q. x.

Consequitur ex dictis Canones Conciliorum Generalium à Gratiano productos habere auctoritatem plenissimam, quia talem quoque in se habent. Decreta Conciliorum Provincialium inviolabilia tantum esse in diocesi ac Provincia, pro qua statuta fuerunt, spectatâ approbatione & confirmatione Pontificis; per quam tamen, nisi exprimat, canon provincialis Synodi non stringit universos, quoniam ut Barbosa docet v. *Confirmatio*, alique J. CC. approbatio & confirmatio addit quidem canoni robur ac firmamentum, sed minime illum reddit ampliorem. Pari jure sequitur leges Imperatorias, nisi Constitutionibus Pontificum insertæ sint, in foro Canonico non valere, nam insertæ tanquam receptæ censentur. Patribus autem, Historicis, cæterisque Canonum

Col.

8.
Notanda de auctoritate & valore veterum Canonum & legum.

Collectoribus ſuam ſtare ſingulis aucto-
ritatem; ipſi autem Gratiano, ubi pro-
prio loquitur ſenſu, non aliam, quam
privato Doctōri, tametiſ ob plurimo-
rum approbationem non humili, atque
vulgari. Idem dicendum de *Paleis*.
Unde vocabulum iſtud eruperit, abſ-
que utilitate diſquirunt. Dictas *Paleas*
à quodam diſcipulo Gratiani *Palea*, aut
Protopalea nuncupato; ego ſane non
arbitror; & hunc *Paleam* Cluniacenſes,
aliique Benedictini prorsus ignorant:
Appellari *Paleas*, quaſi τὰ παλαιὰ id eſt,
antiqua probabile eſt, tametiſ non re-
periantur in vetuſtis codicibus, auctore
Fagnano. Ab adverbio πάλιν, rursus,
quidam deducunt, eoquod ſint additio-
nes factæ Decreto. Solent vocabulis
Græcis propria nomina; librorumque
tituli paſſim conſtari: vulgavitque pau-
cis abhinc annis vir doctus Philoſophi-
cas Inſtitutiones *Neopaleas*.

Post Gratianum variæ adornatæ ſunt
Canonum Collectiones; ſed prætermi-
tenda ſilentio non eſt elaborata anno
1230. à S. Raymundo de Pennafort Or-
dinis Prædicatorum. Eſt hæc; quæ no-
men præfert Decretalium Gregorii IX.
Accedit ea, quæ dicitur liber Sextus
Decretalium, publicata anno 4. Ponti-
ficatus Bonifacii VIII. id eſt anno Domi-
ni 1298. Addidit Joannes XXII. Con-
ſtitutiones Clementis V. quæ vulgo ap-
pellantur Clementinæ, atque hiſ acceſ-
ſere ab ipſo Joanne editæ, quas appel-
lant Extravagantes. Sequuntur Extra-
vagantes communes, id eſt à diverſis
Pontificibus editæ; quibus & addidit
celebris Juriconſultus editas poſt omnes
Extravagantes ſub nomine libri Septimi
Decretalium. Ita Corpus univerſi Ju-
ris Canonici hiſ libris conſtat, Decre-
to Gratiani, Decretalibus Gregorii IX.
Sexto Decretalium, Clementinis, Ex-
travagantibus Joannis, Extravaganti-
bus communibus, & Septimo Decreta-
lium. Hic tamen poſtremus eſt Cor-
pori ſuperadditus.

Dividitur Decretum Gratiani, ſive
Concordia diſcordantium Canonum in
tres partes. Quarum prima continet
Diſtinctiones ci. & in una quoque di-
ſtinctione plures ſunt Canones. Pars
altera complectitur Cauſas trigintaſex,
atque in cauſis ſingulis eſt ordo quæſtio-
num, in quæſtionibus Canonum: ſed
Cauſa xxxiii. quæſtionum loco com-
plectitur ſeptem diſtinctiones. Tertia
pars de Conſecratione inſcribitur, & par-
titionem habet diſtinctionum quinque.

Gregorii IX. Decretales quinque li-
bris comprehenduntur diſtinctis titulis,
R. P. Berti Theol. Tom. IV.

& Capitibus. Continet liber primus ti-
tulos tres & quadraginta: ſecundus tri-
ginta: tertius quinquaginta: quartus vi-
ginti unum: quintus unum & quadra-
ginta. Sunt autem in omnibus titulis
capita ſuis numeris diſtincta.

Sextus Decretalium in alios quinque
diviſus eſt. Sunt in primo tituli viginti-
duo: in ſecundo tituli quindecim: in
tertio tituli vigintiquatuor: in quarto
tres tantummodo: in quinto tituli duo-
decim. Hiſ ſubſcuntur Regulæ Juris
LXXXVIII.

Clementinarum pariter quinque libri
extant: in quorum primo connumeran-
tur tituli undecim: in ſecundo duode-
cim: in tertio decem ac ſeptem: in
quarto unicuique extat titulus: in quinto
undecim habentur.

Extravagantes Joannis titulis quatuor-
decim unius libri ſunt diſpoſitæ. Com-
munes verò continentur libris quinque.
Tituli in primo novem: in ſecundo tres
ac decem: in quarto locus eſt vacuus:
in ultimo decem tituli inveniuntur. De
ſextimo extra Corpus, ut vocant, Ju-
ris, notum eſt plura dicere.

Hæc ideo conſcripta à me ſunt, ut
Tirones Canonum citationes non omni-
bus pervias dignoſcerent. Ex Decreto
Itaque Gratiani hoc pacto Canones lau-
dantur. Ex prima parte: C. *Si Romano-
rum*, diſt. xix. id eſt, in Canone, qui inci-
pit, *Si Romanorum*, in diſtinctione xix. Ex
ſecunda parte ſic proferuntur: Can. *Nul-
li Episcoporum*. III. quæſt. i. id eſt, Cano-
ne, qui incipit, *Nulli Episcoporum*, Cauſa
tertia, quæſtione quinta. Sic ex tertia
parte allegantur: C. *Qui manducant*.
58. diſt. 2. de Conſecratione, id eſt, Ca-
none, qui incipit, *Qui manducant*, or-
dine quinquageſimo octavo, diſtinctione
ſecunda partis tertiæ Decreti, quæ
inſcribitur de Conſecratione. Contem-
ta in Decretalium Gregorii quinque li-
bris allegantur hoc pacto: Cap. *Reco-
lentes*. 3. Extra, de ſtatu Monach. nem-
pe, Capitulo, quod incipit, *Recolen-
tes*; tertio; quod eſt Extra Gratiani
Decretum, id eſt in Decretalibus Gre-
gorii IX. Titulo de ſtatu Monachorum.
Quæ autem proferuntur ex Decreta-
lium ſexto, ita laudantur: Cap. *Si Apo-
ſtolice*, de Præbendis in 6. videlicet in
Capite incipiente, *Si Apoſtolice*; quod
extat Titulo de Præbendis, in Sexto De-
cretalium. Proferuntur ſimiliter reli-
qua. Sit in exemplo: Cap. *Si à Judi-
cibus*, de Appellat. in Clement. ſcilicet,
Capitulo, cujus initium eſt, *Si à Ju-
dicibus*, quod habetur in Clementinis,
titulo de Appellationibus. Cap. *Santa*
Roma

11.
Diviſio li-
bri 6. Decre-
talium in
alios quin-
que.

12.
Diviſio Cle-
mentinarum
in quinque
libros.

13.
Diviſio Ex-
travagan-
tium.

14.
Citatio præ-
ctica Cano-
num pro
Tironibus.

9.
Corpus uni-
verſi Juris
Canonici
quibus, &
quot libris
conſtat.

10.
Diviſio De-
creti Gra-
tiani.

Romana, de Religiosis Domibus in Extrav. Joan. XXII. aut Cap. Vas electionis, de Hæreticis in Extrav. Comm. Singulorum Canonum definitiones sufficienter explicat Decretum Abbreviatum, quod

soluta oratione, & carmine præmittitur Corpori Juris Canonici in editione Coloniae Munatiana, id est, Lugduni, cui hoc nomen à L. Munatio Planco, lectu dignum, & quambrevissimum.

CAPUT XIX.

Quanta sit Apostolicorum Canonum auctoritas.

SUMMARIUM.

1. De Apostolicis Canonibus Propositio 1.
2. 3. & 4. Propositio 2. Probatur.

5. Quinquaginta Canones Apostolici affirmantur.

De Apostolicis Canonibus.

DECRETUM Gratiani, & Conciliorum voluminibus addi solent Canones, qui dicuntur Apostolici: de quorum antiquitate ac origine non idem est Scriptorum judicium. Auctoritate Apostolica conditos, & antiqua traditione ad nos derivatos scribunt Severinus Binius, Franciscus Turrianus, Lambertus Gruterus, Lindanus, alique plures; quorum sententia est fuisse per Clementem in unum congestos. Nonnisi vergente ad finem quinto Christiani nominis sæculo editos arbitratur Dallæus, cui videtur accedere in Vinciticiis Epistolarum Ignatii Joannes Pearsonius. Neque digestos ætate Apostolorum; neque tam sero fabricatos, sed editos secundo, aut saltem tertio sæculo ineunte sentiunt Marca, Albaspinæus, & etiam Beveregius, Hammondus, Blondellus; Josephus Scaliger. Plura de his legi possunt apud Antonium Pagium ad an. 100. n. ix. & seqq. Natalium Alexandrum dissert. xvii. l. sæculi, Schelestratium 2. p. Antiqu. Illustr. & laudatum Beveregium in altero Tomo PP. Apostolicorum Coteleerii. Nos autem nonnulla, quæ ad hanc solvendam quæstionem videntur idonea, subjectis thesibus proferemus.

1. PROPOSITIO I. Canonum Apostolicorum certus numerus definiri non potest.

Probatur I. Quoniam recepti olim ab Orientalibus, & quos habemus ex interpretatione Gratiani Herveti, sunt numero LXXXIV. & qui obtinuerunt apud Occidentales numero tantum L. Inter istos autem quinquaginta est canon valde ambiguus XLV. de Baptismo Hæreticorum; quem, si anno CCLVI. notus fuisset PP. Occidentalibus, profecto Firmilianus in Epistola ad Cyprianum hoc anno adversus Stephanum scripta, aut Rebaptizantium aliquis laudasset. Est enim ille Canon, *Episcopum, aut presbyterum, qui hæreticorum bapti-*

smum, vel sacrificium admittit, deponi jubemus. Quæ est enim conventio Christi cum Belial? vel quæ est pars fidelis cum infideli? Videtur ergo iste Canon à Rebaptizantibus Iconii, aut Synadis congestus, ut Baluzius, & Pagius adverterunt, quo consuetudinem à Stephano laudatam aliquo præsidio repudiarent. II. Cap. Sexaginta, d. xvi. numerantur canones Apostolici 60. ex Epist. 1. Zephyrini, in cujus tamen textu habetur numerus LXX. Quinquaginta autem numerantur seq. Cap. Clementis. At proximo Cap. Placuit, dicuntur confirmata & rata cap. 2. vi. Synodi Canonum Apostolorum LXXXV. Capitula. Verum Sextam Synodum nullos edidisse canones, constat ex Act. 4. & 5. secundæ Nicænæ, inquit Binius Tom. 1. pag. 53. Collect. Labbeanæ. III. Et si non omnes Canones, qui extant in Collectione LXXXIV. Herveti, plures tamen per antiquos esse, etiam præter L. communiter receptos, Eruditi omnes fatentur, & constabit ex subjecta assertionem; cum prima ad hunc modum se habeat.

PROPOSITIO II. Canones Apostolici etiam primis Ecclesiæ sæculis ob-
tinuerunt.

Probatur I. Ex Nicænâ Synodo celebrata anno CCCXXV. Hæc enim Canone 1. de Eunuchis præscribit, quod si aliqui à Dominis vel barbaris castrati sunt, inveniuntur autem alioquin digni, à Clericorum statu non excludantur, *Tales quippe (inquit) admittit Canon.* Qualem vero Canonem putas, nisi XXI. Apostolicum prohibentem ne Clericus efficiatur de Eunuchis ille tantum, qui amputaverit sibi ipsi virilia? Definuit etiam 2. ejusdem Synodi Canone, nestatim nuper baptizati ad Episcopatum, vel Presbyteratum promoveantur, *contra Ecclesiæ Canonem.* At hunc Canonem quis ignorat esse inter Apostolicos LXXIX? Quin-